

Ec. 13. 4to



9.
TRES GRATIÆ
MISSÆ AD NVPTIAS
HONESTI ET DOCTI IUVENIS DO-
MINI SEBASTIANI LOCHNERI VVINSHE-
MIJ, & pudicæ virginis ANNÆ Vuagne-
rin Vuitebergensis &c.

à
THOMA GOLNERO FR.

EPIGRAMMA EIVSDEM
AD SPONSVM.

Querebat me Sponse bonus bone nuper amicus:
Cur magis hinc vestris insidiatur amor?
Cassibus implicitosq; suis cur alma Dione
Leucoreas Nymphas ducere sæpe facit?
Huic ego: solertem Venus odit iniqua Mimeruam,
Gens nimio studio Pallada nostra colit.



VVITEBERGÆ excudebat Ioh. Schuvertel,
Anno à partu virgineo 1572.

EPITHALAMIVM
DE TRIBVS GRATIIS, IN HONOREM
coniugij Sebastiani Lochneri Vuins-
hemij &c.

Vidimus hanc etiam lucem doctissime sponse,
Qua tibi legitimo iungitur ANNA toro.
Qua q̄ diu cœlatus amor manifestior exit,
Nec vult se verbis amplius ille tegi.
Ille diu latuit, sed enim nisi fata vetabunt,
Hec mora successus est habitura bonos.
Sed ne fata vetent, pia vota precesq̄ vetabunt,
Effectum votis ni bone Christe neges.
Salve sancta dies, sanctum quæ prodis amorem,
Et sancta vincis pectora lege duo.
Sol tibi purus eat, puro stent aethere venti,
Nec grauis effusa dec. dat imber aqua,
Discutiat nubes radius Phœbeius olympi,
Quis quis ades, nubes discute mentis item.
Sponse faue, comites dum tres adduximus vnâ,
Sic tua succedant gaudia, Sponse faue.
Virgineum gestare vides habitumq̄, genusq̄,
Quamq̄ petes ista vel ratione puto.
Forsan adhuc aliquas deposcet mensa puellas,
si poscit, comites suscipe sponse meas.
Ne sine muneribus veniant, sua munera gestant,
Videris, his cedit lympa superba Tagi.
Quod gratum vobis sponsis sit & utile dicent,
Ut Letus, Florens, ut sit Amœnus amor.
Discendi studio perquirat cuncta viator,
Cuncta viatorem numina trina docent.

Hoffes

HOSPES, AGLAIA, THALIA,
EUPHROSYNE.

- H. *Quæ noua pompa? quis ornatus iuuenumq; senumq;
Quis sonus aerias percutit vrbe plagas?
Anne novos forsân milites caua tympana cogunt?
Dum Mauors istis bella minatur agris.*
- A. *Non belli, sed coniugij sunt signa futuri
Ornatus, forti tympana pulsa manu.
Nonne sequi iuuenes florentes ordine cernis
Virgineumq; gregem, fœmineumq; gregem?
Non bello est habilis, teneris sed amoribus apta,
Nec sequitur Martis castra puella feri.*
- H. *Ergo quis celebrat thalami sua gaudia sponsus?
Nomen quod? natus qua regione fuit?*
- A. *Nomen habe: cœtus LOCHNERVM dicit amicus,
Patria vitiferis Francia culta iugis.
Nos etiam illius pietas, virtusq; fidesq;
Coniugij festis mouit adesse sacris.*
- H. *Non estis (video) mortali sanguine nata,
Ducitis ex ipso semina prima polo,
Ergo sermones si fas miscere Deabus,
Et genus & nomen dicite quæq; suum.*
- A. *Nos CHARITES dixere Dij, Ioue Patre supremo,
Antinoe nata sed genitrice sumus.
AGlaia: primam dixere, THALIA secunda est,
EUPhrosynes sed enim tertia nomen amat.*
- H. *Vt videor, casu non vobis nomina sunt hæc,
Forte aliquid certi significare volunt.*
- A. *Coniugio certas præscribunt nomina leges,
Vt Letus, Florens, vt sit Amœnus amor.*
- H. *Quædam audire iuuat, res est nisi fortè molesta,
Dicite, sic semper numina vestra colam.*

A ij

Aglaia

A. *Aglaiā nitidum nomen sortita, viator,*
Coniugio lites tristitiamq; fugo.
N*am veluti gemmas nitidas dissoluit acetum:*
(Esse rei testis tu Cleopatra potes)
Sic rixis, sic dissidijs soluantur amores
Tediaq; insanus nil nisi lectus habet.
Sed velut assidua fit pulchrior unio cura,
Sive feras collo, sive feras digitis:
Sic ubi seruandæ paci votisq; studebis,
Dulcescent etiam cura laborq; tibi.
Q*uid tamen efficiat letam vitamq; torumq;*
Vt discant, sponso ista docebo nouos.
S*it pietas primū cure, qui fœdera poscit*
Coniugij, fundat vota precesq; DEO.
V*niat ut mentes amborum nexibus arctis,*
Sic ut idem nolint, sic ut idemq; velint.
A*utor enim pacis Deus est, & premia pacis*
Pacificis spondet pagina sacra viris.
A*ltera cura viri: uxori se ostendere mitem,*
Cuncta nec ad lancem pendere velle parem.
C*ausa tibi quamuis interdum iusta sit ira:*
Iram mansueto pectore vince tuam.
C*onugis at mores discat pia fœmina, discat*
Obsequio carum flectere posse virum.
O*bsequio summa curuantur ab ilice frondes,*
Obsequium frangit saxa, ferasq; domat.
S*ic lis coniugio cedit, sic tristis amaror,*
Intrabunt thalamos sic bona mille bonos.
H. *Nominis ipsa tui rationes ede Thalia,*
Vt Lætus, Florens, ut sit Amœnus amor.
TH. *Me duce connubium floret, nec commoda desunt,*
Me duce lugubri funere tæda caret.

Voce

Voce Thalia mea constantes postulo flammæ,
Quas non vlla dies, nulla senectâ premit.
H. Da veniam verbis, veniam dabis interjato,
Exustus flammis nonne perit amor?
T. Occulta sunt hæc flammæ, quò seuius vrunt,
Hoc magis in calido pectore surgit amor.
Tunc verò flaccescet & exhalabit in auras,
Infauſto capiet sydere si quis onus:
Et somnum infusum sibi rumpet cœlitus ipsi,
Rumpere cum nondum tempus & hora iubent.
Ille voluptatis fœdæq; libidinis æstu
Deposcit liciti gaudia coniugij.
Dulcis amor primùm, dum nondum expleta libido est:
Ardor abibit, amor tristis amaror erit.
At quicumq; frui felici quæris amore,
Te sine, ut è somnis excitet ipse DEVS.
Respue nec leges sanctas, nec sperne Parentes
Et defunctorum qui subiere vicem.
Felix, & multa fueris ratione beatus,
Mutuus haud vnquam fruge carebit amor.
Qualis vbi vitis raris fœcunda racemis
Palmitibus serpit per latus omne domus:
Atq; suo Domino pergratam sufficit umbram,
Dum lucos quærit cætera turba nigros:
Sic vxor fœcunda viro noua gaudia, partu
Pignora connubij dum dabit, illa dabit.
Cumq; fatigatus curis sepe æstuet ille,
Fida suo coniux umbra futura viro est.
Florebunt mense numerosa prole paternæ,
Luxuriat ramis sicut oliua suis.
Hinc natos natas, dabis hinc generosq; nurusq;
Et felix fuerit posteritate domus:

Hinc ubi fila legent fatalia numina vite,
 Persoluet cineri debita iusta nepos.
 H. Nominis Euphrosyne causam quoq; dicat oportet,
 Ut Latus, Florens, ut sit Amœnus amor,
 Ut sit amœnus amor sit mutua cura duobus,
 Alter et alterius pondera ferre iuuet.
 Opprimitur, fasces cum solus sustinet alter,
 Par comitatur honos: par comitetur onus.
 Non bona deperdat vix parta labore mariti,
 Adq; focos coniux ocia lenta trahat.
 Ocia si sequitur, blanda subit arte Cupido,
 Turpis & in vacuo pectore flamma calet.
 Torta sed interea deducens stamina fuso
 Fœminea tardis consulet arte moris.
 Aspice Penelopen, ne peccet amore procorum,
 Nocturnus soluit texta diurna dolus.
 Bersabe lotum si non egressa fuisset,
 Bersabes nullum crimen haberet amor.
 Verum etiam officium caueat ne negligat ipse,
 Coniugis & partum deuoret ore cibum.
 Est quod agas, victum si care acquirere proli,
 Nec mendicato viuere pane velis.
 Doctus es, & doctæ sectaris castra Mineræ.
 Lectio materies multa laboris erit.
 Frena tenes populi, populum frenare iuuabit,
 Seu plectas fontes, seu tueare bonos.
 Rura sed oblectant animos studiumq; colendi,
 Sulcatam vomer scindat aduncus humum.
 Deniq; quicquid erit, species sunt mille laboris,
 Quæ te non mittent ocia pigra sequi.
 H. Sic aris, Diuæ, cadat hostia plurima vestris,
 Dicite, quæ porro querere cura iubet:

Virginitas

Virginitas vobis cur illibata probatur?

Cur datis innupte gaudia nulla viro?

*A. Virginitas lectum socium sine labe requirit,
Et vetat incestas & sine lege faces.*

*Nam veluti mores querit vitamq; pudicam,
Cui iungenda toro sponsa puella datur.*

*Sic ubi legitimos excedunt fœdera fines
Coniugij, tetrum crimen habebit amor.*

*H. At dic cur nude, nec amicta vestibus estis:
Depositum signum nuda pudoris habet.*

*T. Odit amor fucos & ficti signa fauoris,
Candida corda patent, at simulata latent.*

*H. Cur se conuerso tueantur corpore bine,
Cur faciem auertat tertia, porro doce.*

*E. Coniugium efficiunt duo tantum, auertite plures,
Vna sat est vni fœmina iuncta viro.*

*H. Perpetuo vernat cur vobis flore iuuentus?
Cum facies nunquam ruga senilis arat?*

*T. Non canescit amor, quem conditor indidit ipse,
Æternum durat connubialis amor.*

*H. Sed quid connexus firmus? velut auguror ipse,
Vincula perpetui carceris omen habent.*

*A. Non duo iam duo sunt, sed sunt suauiter vnum,
Legitimo iuncti fœmina virq; toro.*

*Vnum pondus habent, communi sorte fruuntur,
Participesq; boni, participesq; mali:*

*H. Addiscenda mihi restarent plura rogando,
Ni via, quæ restat, conficienda foret.*

*Ergo valete simul, simul ad mea tecta reuertar,
Inficiet vestros victima cesa focos.*

*A. Tuq; vale nobis, & fausto sidere perge,
Impediat cornix nulla sinistra vias.*

Hæc

*Hæc Comites tædis nostræ cecinere futuris,
Dum vos in sacra neclitis æde moras.
Forte cupis iungi mea vota precesq; Sebeste?
Ne nihil ipse precer, nonnihil ipse precor.
Frigora dira faces, opto, moderentur amoris,
Ne pereat flammis ille vel illa suis.
Ver fundat flores tepidum, quos nempe Cupido,
In cunas primas quos Venus alma legat.
Conceptos fætus maturet siccior æstas,
Maturum autumnus fertilis edat onus.
Deniq; si Deus ambobus tot iungeret annos,
Ut sciret vites gignere dura silex:
Et vites illæ sudarent nobile vinum:
Non tamen amborum diminuatur amor.*

TEMPVS NVPTIARVM.

*Ter senos præsens Mensis pandebat Ut ortVs,
Astabat Later I nVpta Sebeste iVo.*

*Vuolgangus Knoblochius
Noribergensis.*



Cl 4160


ULB Halle
003 485 978


3



MC








9.

TRES GRATIÆ
MISSÆ AD NVPTIAS
HONESTI ET DOCTI IUVENIS DO-
MINI SEBASTIANI LOCHNERI VINSHEN-
MIJ, & pudicæ virginis ANNÆ VUAGNE-
RIN VVITEBERGENSIS &c.

à
THOMA GOLNERO FR.

EPIGRAMMA EIVSDEM
AD SPONSVM.

*Quærebat me Sponse bonus bone nuper amicus:
Cur magis hic vestris insidiatur amor?
Castibus implicitosq; suis cur alma Dione
Leucoreas Nymphas ducere sæpe facit?
Huic ego: solertem Venus odit iniqua Mimeruam,
Gens nimio studio Pallada nostra colit.*



VVITEBERGÆ excudebat Ioh. Schvvertel,
Anno à partu virginæo 1572.